

iterum ex *ῥέειν* fluere deducunt Lexicographi, unde rursus amplissima hujus vocabuli significatio patet, quod etiam generaliter ad qualescunque conspersiones denotandas adhibetur Hebr. IX: 13. 15. 21. & X: 22. Ita quoque in genere *αἷμα ῥαντισμῶς* sanguis adspersionis memoratur Hebr. XII: 24. & contra *ῥαντισμὸς αἵματος* adspersio sanguinis 1. Pet. I: 2. quæ si conferantur cum iis locis, in quibus Alexandrini verba *ῥάινειν* & *ῥαντίζειν* cum compositis adhibuerunt, latitudo significationis verbi istius luce meridiana clarius, effulgescet, ut non opus sit ei exponendo diutius immorari.

CAPUT. II.

DE LIQUORIBUS AD CONSPERSIONEM ADHIBITIS ET RECEPTACULIS QUIBUS CONTINEBANTUR.

§ 1.

AD rem ipsam igitur nos conferamus, exposituri principio materiam liquidam, quæ in adspersionibus adhibebatur, dein instrumentum sive medium, quo liquores objecto applicabantur & denique ipsos ritus adspersionum enaraturi. Quod ad materiam attinet, ea constabat vel ex meris simplicibus oleo scil. & sanguine, vel ex eorum inter se invicem aut cum aliis rebus aquâ, cinere &c. commixtione. De singulis nonnulla monebimus, quæ rebus nostris inserviunt, ita tamen, ut quantum pote brevitati studeamus.

Materia adspersionum.

§. 2.

Oleum Hebraice *שמן* dicitur id est pinguedo à *שמן* pinguem esse, quod cum attributum primarium sit olei, quandoque hoc nomine solo designatur. Nonnunquam tamen *דקל* *שמן* pinguedo olivæ dici solet, ut à cæteris materiis pinguibus distinguatur innuaturque sola illa pinguedo, quam ex fructu olivæ exprimere solent. Poterat autem oleum quod in sacris adhibebatur peti ex omnibus terræ Israëliticæ

optimum erat Thecoanum.